Handschrift

Seite 25v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8293
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Unde et bene illic
scriptum est. Post hoc dauid percussit cor suum. eo quod abscidisset
oram clamidis saul. Facta quippe prepositorum oris gladio feri
enda non sunt. etiam cum recta reprehendenda iudicantur. Si quando
contra eos vel in minimis lingua labitur. necesse est ut per afflictionem
pnie cor premat. quatus ad semetipsum redeat. et cum preposite po
testati deliquerit. eius contra se iudicium a quo sibi prelata est per
horrescat. Nam cum in prepositis delinquimus eius ordinationi
qui nobis eos pretulit obuiamus. Unde moyses quoque cum contra se
et aaron conqueri populum cognouisset ait. Nos enim quid sumus
nec contra nos est murmur vestrum. Sed contra dominum.

9m

Aliter amonendi sunt serui atque aliter liberi. Serui scilicet
ut in se semper humilitatem conditionis aspiciant. Do
mini vero ut nature sue qua equaliter cum seruis sunt
conditi memoriam non amittant. Serui amonendi
sunt ne dominos despiciant. Ne deum offendant. Sed ordinationi
illius superbiendo condicunt. Domini quoque amonendi sunt quia
contra deum de munere eius superbiunt. si eos quos per condicionem
tenent subditos. equales sibi per nature consortium non cognoscunt
Isti amonendi sunt ut sciant se esse seruos dominorum. Illi amonendi sunt
ut cognoscant se esse conseruos seruorum. Istis namque dicitur. Serui
obedite dominis carnalibus. Et rursum. Quicumque sunt sub iugo
seruitutis dominos suos omni honore dignos arbitrentur. Illis autem dicitur.
Et vos domini eadem facite illis remittentes minas scientes quod il
lorum et vester dominus est in celis.

30m

Aliter amonendi sunt sapientes huius seculi atque aliter
hebetes. Sapientes quippe amonendi sunt ut amit
tant scire quod sciunt. Hebites quoque amonendi sunt quod
appetant scire que nesciunt. In illis hoc primum destruendum
est quod sapientes se arbitrant. In istis iam edificandum est.
quicquid de sciencia superna cognoscitur quia dum minime superbiunt.
quasi ad suscipiendum edificium corda parauerunt. Cum illis
laborandum est ut sapientius stulti fiant. stultam sapiam
deserant. et sapienciam dei stulticiam discant. Istis vero pre
dicandum est. Ut ab ea que putatur stulticia ad veram sapiam
vicinius transeant. Illis namque dicitur. Si quis inter vos videtur
sapiens esse in hoc seculo stultus fiat ut sit sapiens. Istis vero
dicitur. Non multi sapientes sed carnem. Et iterum que stulta sunt
mundi elegit deus ut confundat sapientes. Illos plerumque ratioci